

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cibus Electvs Sive Instrvctiones Sanctae De vita sanctè traducenda& inter pios sanctósque affectus concludenda**

**Elffen, Nicolas**

**Coloniae, 1667**

Exercitia Præcipuarum Virtutum per Quæstiones proposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55232](#)

que non rogatus concedes, certus, non esse  
tibi à Deo remittenda debita, nisi tu prius  
debitoribus tuis remiseris.

Dum æger es, id age, ut mens tua cogita-  
tionibus, sanctis occupetur. Ideoque inter-  
dum tibi prælegi curabis aliquid de passione  
Christi, de obitu Sancti alicuius illustris, de  
cruciatibus fortissimorum Martyrum, aut  
certè orationes aliquas plenas succo veræ  
pietatis, quarum penuria ne labores, ecce ti-  
bi id genus complures in præsenti parte sub-  
jicio.

### EXERCITIA PRÆCIPLIARUM VIR- TUTUM per Quæstiones proposita.

*Exercitium Fides.*

Credis O anima Christiana, quidquid cre-  
dendum proponit sancta Mater Ecclesia?

R. Credo.

Credis Deum esse unum in substantiâ &  
trinum in personis, Patrem, Filium & Spi-  
ritum sanctum? R. Credo.

Credis secundam in Trinitate Personam,  
Filiū scilicet amore tui incarnatum de  
Spiritū sancto ex Maria Virgine, & homi-  
nem factum, passum & pro te in Cruce  
mortuum? R. Credo.

Credis in sanctissimo Altaris Sacramento  
contineri verum corpus & sanguinem Re-  
demptoris ac Salvatoris tui I E S U? R.  
Credo. Credis Cælum esse ubi sine  
fine gaudebunt electi & quotquot D E O  
im-

impensè servierunt dum viverent ? Credo.

Credis infernum esse in quo æternum  
punitur reprobis & quotquot unius etiam  
Lethiferi criminis Rei deceperunt è vita ?  
R: Credo.

Verbo, credis omnia quæcunque creden-  
da proponit sancta Mater Ecclesia, sive illa  
scripta sint sive non sint ? R. Credo.

Et credis hæc omnia quia Deus qui nec fal-  
li potest nec fallere ita revelavit ? R. Credo.

Itaque quod corde credimus ore profite-  
amur & una recitemus Symbolum Aposto-  
lorum.

*Exercitium Spei.*

**E**rigere anima pretiosissimo Christi san-  
guine redempta, & si meritis atque ope-  
ribus tuis, quæ exigua sunt & imperfecta  
parum confidis senti nihilominus de Domi-  
no in bonitate : Et quidni benè speres de  
optimi Patris clementiâ, cui proprium est  
misereri semper & parcere ? Resp. Spero.

Speras etiam in meritis Iesu Christi, quæ  
indigno licet applicare paratus est, & in acer-  
bissimis ejus cruciatibus, ac morte pro te  
obita, ut te præservaret à morte secunda &  
cruciatibus sempiternis ? Resp. Spero.

Speras ( vel confidis ) etiam post Deum  
in potenti Matris Misericordiæ, Angeli Tu-  
telaris & reliquorum Cœlitum patrocinio ?  
Resp. Spero.

Nonne & speras ex infinita Dei bonitate  
ac

ac misericordia in hac vita tibi obventura  
omnia quæ ad beatitudinem consequen-  
dam sunt necessaria, ac demum vitam æter-  
nam? Resp. Spero.

Eccur speras hæc omnia? nonne fretus  
omnipotentiâ quæ potest & bonitate quæ  
vult ac denique fidelitate, quæ debet suc-  
currere misero, quia promisit? Resp. Ideò  
spero.

Age ergo spem animo conceptam ore ex-  
primamus & unà recitemus Orationem  
Dominicam.

*Exercitium charitatis.*

**A**ssurge hic anima Christiana, & reliquas  
corporis animique vires collige; agen-  
dum est hic negotium omnium negotiorum  
maximum.

Age ergo nonne Deum tuum, Deum in-  
quam tuum amas ex toto corde super om-  
nia? Resp. Amo.

Ipse est Pater tuus qui corpus dedit &  
animam, ipse est Liberator tuus qui in cru-  
ce pro te vitam profudit & sanguinem, ipse  
est summus Benefactor tuus qui innumeris  
beneficiis haec tenus in te collatis plura adji-  
ciet conferenda in Cœlis: nonne vel ideo  
eundem redamas? Resp Redamo.

Ipse est pulcherrimus, optimus, maxi-  
mus, ipse est summum & infinitum bo-  
num, tua simul & sua ipsius beatitudo.  
Nonne igitur amas nullo non amore dignis-  
sum? Resp. Amo. Et

Et doles ex animo quod Deum tuum  
ad eo bonum ullo unquam etiam levissimo  
peccato offenderis? Resp. Doleo ex ani-  
mo.

Proponis ergo serio vitæ adhuc superstitis  
emendationem? Resp. Propono.

Et ut rigori Justitiae divinæ fiat satis quo-  
cunque dolores quascunque molestias ac  
morbi tædia æquo feres animo? Resp.  
feram.

Age ergo amorem illum quo D eum tuū  
prosequeris, ac dolorē quo peccata præte-  
rita detestaris, voce exprime, ac me in verba  
præcuntem sequere. Dicamus ergo pariter  
toto cordis affectu: O Deus summe Bene-  
factor meus, ago tibi gratias pro universis  
beneficiis tuis mihi & aliis collatis aut con-  
ferendis in omnem æternitatem.

Credo in te suprema veritas.

Spero in te te æterna felicitas.

Revereor te immensa Majestas.

Glorifico te O sanctissima Deitas.

Amo te incomprehensa bonitas.

Doleo medullitus quod unquam of-  
fenderim te.

*Invocatio Iesu, Mariae, & Sanctorum.*

O Sancti Angeli & Seraphici Spiritus, &  
tu in primis fidelissime Custos meus, im-  
petrate mihi à Iesu per Mariam, ut Iesum  
meum sic amem, quemadmodum vos eum  
amat, ex toto corde super omnia. Ange-  
licæ